



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet**

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &  
Festos, ab ipso Auctore confectus

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1651**

7. Quæ, & cur à prole in matrimonio mala?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45686**

illi non tam de se, quàm de joco solliciti identidem clamabant, *Pater mi, ascende scammum, ne tibi quoque oculos effodiant.* Et placebat hoc matri, quòd filios haberet tam iocosos. Pater tamen faciliè conijciebat, quid sibi ab adultis expectandum esset, quem vix nati & fari incipientes jam derisui haberent. Leue est hoc, inueniuntur filij & filia, qui in aperta conuitia, opprobria, contumelias, iniuriasque parentum excandescunt, atque in tantum eos luctum conijciunt, vt non rarò, ne tam acerba dicta factaue diutiùs ferre cogantur, sibi ipsis violentas manus inferre meditentur. Exemplis hìc superfedeo, quorum multa fatis, in libro *De gnauo & ignaui filio*, sunt à me commemorata.

## VII.

Ex his omnibus perspicuum fit, *bonum proliis*, in coniugio, plurima habere opposita mala, quibus amarescat: nempe 1. mordet suspicio patrem, ne alterius filium, pro suo, alat. 2. vulnerat illum probabili coniectura. 3. cruciant illum absentia, morbi, periculaque mille liberorum. 4. enecat mors immatura, dum cogitur prolem sepelire, à qua sibi oculos claudendos sperabat. 5. lacerant denique, velut Pentheum sorores, vitia moresque inquinati liberorum. Cur igitur in bono Matrimonij statu, hæc Mundi Gubernator permittit esse? Sæpe enim de parente aliquo dici potest. *Deus seruabit filijs illius dolorem patris: & cum reddiderit, tunc sciet. At quis arguet eam eo viam eius?* Habet enim multas & æquissimas causas. 1. Nullum vult esse, in hac vita statum vndequaue felicem, vt ad feliciorum, in altera, aspiremus. Quare, postquam dixit Apostolus, *Si acceperis uxorem, non peccasti. Et, si nupsit virgo, non peccauit*, disertis verbis adiecit: *Tribulationem tamen carnis habebunt huiusmodi.* Hoc acetum affudit, ne quis merum, in coniugio, multum expectaret, aut matrimonium putaret excellentius quid esse, quàm cœlibatum.

Tob. 21. 19.

1. Cor. 7. 28.

## VIII.

2. Multi sanè timent, alienam esse prolem, quam alunt, vt suam. Sed huius metus ipsi sunt causa. Cur enim suspiciosè & criminose de alijs cogitare consueuerunt? Magnus est horum numerus, quia

Omnia